



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 4. An ad Matrimonii valorem requiritur, ut intendatur copula?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

tur, nec cognosci, nisi per aliquod signum externum declaretur. Quamvis autem ad ejus valorem sufficiat quodvis signum sufficienter eum manifestans ex Catech. Rom. & ex Conc. Florent. quod non requirit verba absolute, sed cum addito *regulariter*; tamen verbis propriè dictis exprimi debet, dum potest; quia verba vocalia meliùs ac clariùs quam alia signa consensum exprimunt; proindè usurpari debent in contractu tanti momenti, dum possunt.

Q. 4. *An ad Matrimonii valorem requiritur, ut intendatur copula?*

Resp. Neg. Sed sufficit, quòd intendatur saltem implicite & confuse translatio domini corporum in ordine ad actum conjugalem, seu Jus ad copulam. Quia 1. Matrimonium nihil est aliud essentialiter quàm mutua traditio & acceptatio potestatis corporum, in ordine ad copulam, dando & accipièdo jus ad copulam. Undè copula supponit jam Matrimonium constitutum. Item essentia Matrimonii consistit in conjunctione animorum, per mutuam traditionem potestatis corporum ad finem Matrimonii saltem confuse cognitum. 2. B. Virgo & S. Joseph ex communi sensu Ecclesiæ verum contraxerunt Matrimonium; licet non intenderint copulam; imò se per votum obligarint ad se abstinendum ab ea. 3. Validè initur Matrimonium cum voluntate ingrediendi Religionem ante illius consummationem.